

*Cum socijs natoꝝ, penatibus, & magnis Dijs.*

Et Paulò post,

*Hospitium antiquum Troia, socijꝝ penates,*

Æneas etiam apud Didonem iactat se Deos penates eripuisse à flammis Troianis. ideo illum Virgilius sic in primo Æneid. loquentem inducit,

*Sum pius Aeneas raptos qui ex hoste penates*

*Classe veho, mecum, fama super aethera notus*

*Italiam quero patriam, & genus ab Ioue summo.*

Sed iam, ne plura aggrem hoc loco, quàm par sit, authores, qui de dijs penatibus fulius loquuti sunt, subiiciam, vt qui voluerit totam rem cognoscere, certos locos adire possit. Lilius igitur, Girardus noster, Syntagmate xv. plenius de penatibus, meminit in libro de Dijs gentium, & Pierus Valerianus, in Hieroglyphicis lib. xlii. vbi de hasta differit. meminit & Martianus lib ij. cap. 4. & xvij. Topographiæ Romæ. & Alexander ab Alexandro libro quinto capite duodecimo dierum Genialium, & libro sexto capite quarto. Hic post scriptam historiam de Aenea patrem Anchisen gestante superpondij vice licebit in gratiam amicitiae & benevolentiae & affinitatis, quacum illustri adolescente & clara indole prædito Ludouico Tuisco, Comite, constringor, illud addidisse postquam ille benignitate vsu perrara, ad me misit Roma duo antiquissima argentea numismata, alterum mehercle Aeneæ pietatem in patrem præferens, alterum Domitiani in tergo ancoram navis ostentans. quæquidem numismata ideo mihi chariora sunt, quòd gratioso muneri, nobilitatiq; conuenientia nostræ, in perpetuam vtriusque nostri memoriam conseruantur. Cùm & amicitiae Romanæ, & virtutis clarissimi nobilissimique viri Iulij Vrsini antiquitatum Romanarum peritissimi splendore famaue non modicum commouear attractus, qui, vt ex scriptis literis eiusdem ad Ludouicum Comitem Tuiscum & à Ludouico ad me missis constat, extare. Narrat etiam vetus Numisma æreum Romæ apud Alexandrum Coruinum doctissimum ac celeberrimum virum, in cuius postremo orbe cernatur Aeneas patrem suum Anchisem gestans cum Iulio patrem subsequente, & cum Lupa Romulo puero lac præbente. sicut & illud

apud eundem Coruinum extare Iulius idem Vrsi-

nus scripsit, nempe in numismate, Antinoi

præter verba, *Αντινοὸς ἱεὺς* in altera

numi parte legi, ΜΗΤΡΟ-

ΠΟΛΙΣ ΝΙΚΟΜΗ-

ΔΕΙΑ. & de his

fatis &c.